



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Patrocinium Defunctorum**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

Articulus II. De Sacrificii virtute Deum piis manibus placandi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

item, aliisque plurimis Martyribus simul cum luce cœlesti carcerem illustrante, resoluti sunt compedes, dissoluta manica, & custodia referata est: sic precum luce in lustrante ergastulo promicante animarum vincula religantur.

931. Denique idem oris aurci Orator. lib. 2. de orando Deo: *Siquis*, ait, *dicat anima nervos esse deprecationem, meâ quidem sententiâ, videbitur verum dicere.* Et paulò post alia similitudine usus, *Vi piscis*, ait, *vita est aqua, ita tibi deprecatio.* Per hanc datur ex aquis subvolare, cœlumque transcendere. Ita ipse. Qui igitur iis orationis nervis pios manes instruxerit: qui genus hoc vitæ iisdem inspirarit, illic languorem iis ademerit, & ad capeſſendam tenendamque cœli viam vigorem impresserit.

932. Author quoque Serm. ad Fratres de Eremo. ferm. 22. *Valde servit Dei, & solitarius*, inquit, *est necessaria oratio ipsa, per quam Deus placatur, per quam Deus ad nos inclinatur.* Adoraverat enim populus Judaicus vitulum conſtatilem, & ait Dominus Moysi, *dimitte, ut irascatur furor meus contra eos, cui Moyses, Quæſo, O Domine, quiescat ira tua, & esto placabilis super malitiam populi tui.* Et ecce placatus est Dominus, & paulò post. *Ecce enim*, ait, *Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio nudus triumphat, paradysum de cruce latro invenit. Susanna inter senes defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur: & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Laurentius verò Justinianus de orat. c. 2. discretissimè, *Hæc*, ait, *nempe oratio, Deum mitigat, & velut quoddam scutum ab ira eius protegit.* Denique longus sim, si alia ejus generis testimonia congerere velim.

933. Unicum hic addo, eâ quidem quæ de omni oratione universim dixere illi fidei nostræ parentes, propriè illi preci competere, quæ pro piis manibus concipitur. At hæc nominatim. Primum, velut alteros Jeremias in lacum missos mortalium precibus sublevati. Ut enim Eunuchus ille Æthiops Sedeciam Regem pro vate illo rogaverat, ut inde extraheretur: ita defunctorum Amator Deum eâdem causâ efflagitat, non impari successu, eosque extrahit. Ut Daniel inter leones fame rabidos constitutus, liber, atque integer substitit; tumque Darii studio ac benevolentia è lacu educus est; ita pii manes viventium precibus inferorum leonum furorem evadunt, atque ab ipsis velut à Dariis quibusdam ex cavâ educuntur. Ut tres pueri, quod proximè superius dicebamus, oratio-

nis vim adversus virtutem ignis illæsi senserunt; ita & pii manes sentiunt. Ut Jobus in sterquilinio patientiâ invictâ perstitit, & propter antiquas ac præſentes preces, inter horrendas cruces spe sua recreatus est: ita & iidem illi pii manes recreantur. Ut denique latro brevi prece Christi benevolentiam, ac paradysum, Susanna Danielis patrociniis impetravit; Stephanus Saulo veniam ac conversionem obtinuit; ita pii manibus, non longâ oratione Christi benevolentia, ac patrociniis, venia item noxarum, ac paradysus comparatur. Id quod agnosceſſens S. Ephrem dum animam suam fratribus suis in testamento à se scripto commendat, *Comitamini me*, ait, *in psalmis, & orationibus, & assidue pro meâ parvitate orationes facere dignemini, & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis, mortui enim in precationibus, atque oblationibus, commemoratio- nis sanctorum viventium beneficio afficiuntur.*

## ARTICULUS II.

### De sacrificii virtute Deum piis manibus placandi.

§ I.

#### Declaratur.

DE eâ scripsi fusè l. 2. de Sacramento 934. Amoris, quando de sacrificio, & hoc De illa tractatu sparſim aliqua pro re natâ protuli, quædam nec est animus actum agere; tantum hic vel positiones addo, vel in memoriam nonnulla revoco Theologica. huic tractatui necessaria. Primum inter Theologos in confessio esse, penam temporalem hujus sacrificii virtute proximè remitti, idque Apostolicâ traditione in Ecclesia constare. Alterum, inter omnia, quæ ad satisfactionem conferre possunt, sacrificium maximè valere; id quod discretè Tridentina Synodus tradidit sess. 25. cum asserit *Purgatorium esse, animasque ibi detentatas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Tertium, hujus sacrificii præcipuum fructum, esse satisfactionis. Quemadmodum enim sacrificio, Crucis maximè, indita fuit vis satisfaciendi pro penâ peccatis nostris debita; ita sacrificium hoc incruentum, quod cruenti viva quædam imago est, propriè ac directè institutum est ad fructum satisfactionis ex opere operato nobis applicandum,

dum, adeo ut sicut in scholis loquuntur, quod in illo contigit secundum sufficientiam, id in hoc secundum efficaciam fiat. Quartum, ex Henriquezii quidem, & Suarezii sententia, satisfactionis ex sacrificio manantis applicationem prodesse defunctis ex opere operato, & certam iustitiae legem licet indulgentiae, & privatae applicationes bonorum operum, dumtaxat per modum suffragii, id est, ex misericordia ac liberalitate Dei eas admittentis, prodesse dicantur. Et ratio est, quod Concilia, ac Sancti Patres eodem modo asserant sacrificium Missae offerendum pro defunctis, atque pro vivis; & cum datur Sacerdoti potestas sacrificandi, dicatur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, atque defunctis*: unde sequitur aequè utrisque, atque ex opere operato prodesse.

§ 2.

*Eadem virtus exemplis comprobatur.*

935. Bernardus sacrificii liberat fratrem Conversum.

Id genus virtutis non semel demonstravit Bernardus Abbas Clarevallensis, dulce nomen non mortalibus dumtaxat, sed & vitâ functis, quibus, dum vixit, quam optime voluit, ac fecit. Deceßerat quidam ex eius monasterio frater Conversus, in alios plus æquo asper atque immitis. Hic viro Sancto lamentabili specie spectandum se præbuit, & ab eo interrogatus, quo statu res ipsius essent, subjecit sese à quatuor demonibus Iustitiae divinae ministris vehementissimè torqueri. Quo dicto continuo tanquam turbido aquilone abreptus spectari desinit. Urget nihilominus Bernardus, ut rursus se ipsi sistat, & interea sacrificiis tum per se, tum per Fratres, Deum illi animæ propitiare conatur; nec frustra, nam paucò post tempore divinitus cognoscit purgante ergastulo liberam esse; quod nunciùm mirum in modum eum recreavit.

936. Item alium.

Aliàs cum alter etiam Conversus in eodem cenobio vita migrasset, quidam grandis natu Religiosus, nec impari virtute, vidit demonum legiones in varias cohortes distributas latissimis vocibus clamitantes *Accurrite, accurrite focii: ecce in manus nostras tandem venit ex hac infesta valle cucullatus*: Tum senex mæstus in cubile se recepit. Inter qualem qualem soporem ei apparens ille mortuus, *Audisti certè, inquit, insanos demonum clamores, super sua præda, meaque calamitate: veni ergo, & pariter vide tormenti genus horrendum, quomè excruciant*. Nec mora, senem ad pu-

teum adduxit latum profundumque supra modum. *En, ait, locus, quo me demones frequenter iniiciunt, tantâ rabie, tantoque cruciatu, ut malim centies in eum à mortalibus, quam semel ab eis conici*. Subinde visa, auditaque ad Bernardum refert Religiosus. At hic ea cœlitus mente præceperat, atque altum suspirans, illicò torum monachorum suorum cœtum cogi jubet, coactosque fervidè hortatur, vitam ut agant sancti timoris ac vigilantiae plenam, quando totus orcus in eos insurgit, qui religiosum vivendi genus profitentur: Tum verò universos monet, ut fratrem demortuum precibus ac sacrificiis prosequantur. Non diu id præstitit, cum defunctus seni rursus spectabilis, sibi melius esse asseruit. rogatusque quid potissimum illius dolores levasset, *Ades, ait, monstrabo*. Tum seni ad templi suggestum deducto unde Sacerdotes aris operantes animadverti poterant, *Ecce, ait, arma, quibus demonum potestate sum ereptus. Ecce victimam qua reconciliatus. Ecce hystrum, quo redemptus sum: cuius tanta vis est, ut nemo nisi contumax, & perire obstinatus, possit illi reluctari*. Aliàs dum idem vir sanctus Missam Romæ facit in sacello Divis Martyribus Zenoni, ac sociis dicato, scalam conspexit, quæ ab altari, ubi faciebat, ad cœlum usque pertineret, pariterque vim ingentem Tutelarium modò ascendentium, modò descendentium animadvertit, quippe quorum ministerio animæ jam purgatæ in cœlum deferebantur. Vide Henriquez, & alios variis locis; & sacris eum pietate operando talem scalam tibi, & defunctis construe.

Jam venerabilis Franciscus à Parma Ordinis fratrum Minorum cum in æde sacra sui cenobii quondam oraret, jamque diu cum somno velut luctatus fuisset, ingentem demonum multitudinem vidit animæ cuiusdam è fratribus vitâ functis cruciandæ incumbentem. mox pro eâ, quam ei sua sanctitas tribuerat in demones potestate, iussit eos tantisper à cruciando cessare, dum eum interrogaret, quis, & quare ita torqueretur. Respondit illi se munus Vicarij cuiusdam Provinciæ gessisse, & quia hominibus magis, quam Deo se probare studuerat, usque eò, ut nimium libertatis fratribus sibi subiectis permitteret, idè sic infeliciter agitari. *Tunc ille igitur es, ait, Franciscus, qui solitus eras bonus ac suavis Pater appellari? Et què factum est, ut tanta Missarum, aliorumque suffragiorum à nostris fratribus exhibitorum copia te non sublevarit? Imo, subiecit reus, persecerunt, ut non acrioribus doloribus discruciarer. Quare te impensè rogo, obtestorque, eos ut meo nomine*

937. Mollioris præsidis liberatis per Missas.

flagites quo Missas precēsque mihi addicere pergant, & tu imprimis mei misereare. Votis, ac supplicationi obsecuti sunt fratres, maxime quod Patri ac praesidi tantis in tormentis adesse charitas jubebat: nec Franciscus destitit quā Missis, quā suffragiis aliis, Deum urgere, donec è carcere Purgatorio in caeli regiam migrasse sensisset. Ite nunc Rectores, & mortalibus potius, quàm Deo placere studete. Heu! disciplinae communis laxatio quàm rigidè in vobis plectetur!

938. Sed eximius in hoc genere charitatis, virtutisque animas per sacrificia liberandi, fuit admirabilis ille Brasiliæ Thaumaturgus Josephus Anchieta Soc. JESU. Hic enim illas è flammis purgantibus eximebat citius, quàm alii, quorum scire intererat, illorum obitum rescirent. Festo S. Joannis Evangelistæ die, sacrum de defunctis fecit pro certo quodam homine. Miratus Collegii illius Praeses, Missæ ejusmodi importunitatem (quippe Natalibus festis) facti causam Josephum rogavit. Ille ingenue, *Mi pater, ait, nocte proximè præterita in urbe Laureti, decessit Pater quidam mihi olim condiscipulus; pro eo sacrificavi.* Institit Rector rogare, num quid de animæ illius statu cognosset: Tum Josephus, omnino, subjecit. Nam cum eò Missæ pervenissem, quando ritè dicitur, *Omnis honor, & gloria, tum caelo se intulit: nempe ad Numinis gloriam, & sacrificii virtutem æternum concinendam.*

939. Quondam evénit, ut Collegii, in quo degebat, Rectori manè divina meditati obijceretur hominum turba, quos discernere non posset. Interea tamen vocem exaudivit sic orantis. *Pater mi, Pater mi, Deum pro me precare, ego sum ille;* nomen suum significabat. Animadvertit Rector illam filii sui Bartholomæi esse vocem: nam viduus Societatem inierat: tum ad Josephum adit, quærit, què se filius suus habeat, nec visum indicat. Rectè, ait, Josephus, moxque sermonem aliò vertit. At anno post Baià (urbs est Brasiliæ) ubi Bartholomæus studiis vacaverat, tyre quidam veniens eum mortuum renunciat. Quo audito, Rector Josephum orat, ut pro suo Bartholomæo unum Sacrum faciat, supra ea quæ quisque Sacerdotum nostris in eadem provincia defunctis debet. *Feci, ait Josephus, pro eo, nec plurimum Sacrorum eget. Id verò cognovi, dum visio tibi ista obiecta est: quo tempore filius in caelum iter habebat.* Ita ipse. Ex quo intelligis filium patrem suum orasse, ut itineris moram contraheret.

940. Aliàs dum æger in conclavi ægrotum

versaretur, unum è fratribus, ægrotum ministrum aliquid esculenti postulans, animadvertit eum litteris Olyssiponem ad sororem suam scribendis intentum. Tum Josephus, *In caelum, inquit, potius eas destina, nam soror tua mortua est.* Intellectà dein vaticinii veritate petivit ab eo frater, ut pro sorore sacrificaret. Ad hæc ille, *Eo ipso tempore, subiecit, quo migravit è vitâ, illo charitatis munere sum persuasus.* Idem Thaumaturgus totidem pro nostris vitâ functis, quot pro Fundatoribus sacrificia patrare solitus, hanc facti rationem addere solebat, quòd illi quidem facultates suas, hi verò seipsos Societati dedissent,

§. 3.

*Piorum manium desideria opis per sacrificia obtinenda.*

CUM tanta sit vis sacrificii ad animarum levamen, mirum non est à piis manibus illud singulariter expeti. Nota est Susonis è S. Dominici familia religiosissimi viri historia, qui cum socio, pro pacto inuito, sacrificia non redderet, sed preces, ac corporis afflictationes, ille graviter quæstus, *Sanguinem Redemptoris* exigere se dixit, quo flammam suas mitigaret. Nota quoque Cantipratani, cujus pater, quotiescumque ille suo mortui bono sacrificare negligebat, miserabiliter conquirebatur. Nota denique apprecatio cujusdam Peregrini defuncti, qui suo ac multorum aliorum nomine institit apud S. Nicolaum Tolentinatam, ut suâ causâ Missam faceret, quæ omnia fusè retuli, Tractatu de Sacramento Amoris: quando sacrificii vim piacularem exposui.

941. Minus celebris est piorum manium dolor de sua sacrificiorum jactura ex morbo R. P. Francisci Mastrilli profecta. Ægrotabat ille ad mortem, à qua tamen S. Francisci Xaverii beneficio prodigiosè ereptus est, quando Xaverius eum cum variis Cælitibus sapius adibat. Quondam ampliore solito eorum catervâ cinctus illi se præbuit. Scitatus est Mastrillus familiariter, an comites illi essent è piis manibus. Cui Xaverius, *Amici, inquit, mei sunt, qui te Deo supplices commendant; quibus non mediocriter dolet agrum te iacere, quod sacrificiorum tuorum fructu priventur.* Ergo, reponit Mastrillus, *expedit Patribus nostris commendare, ut sacrificia complura, precēsque illis addicant.* Annuente Divo, nec gratiam ingratis conferendam significante, Mastrillus omnes Collegii Patres fratresque

quo

Simul de  
S. Venan-  
tio Abbate.

que flagitavit Missas, & rosaria; quæ perforata sunt. Eodem refero quod de S. Venantio Turonensi Abbate ferunt. Cùm enim quondam sacrificio interesset, & cantantium chorus ad orationis Dominicæ verba illa pervenisset, *Sed libera nos à malo*, è tumultulo Sacerdotis cujusdam, cui nomen Brasia, vox lamentabilis audita est, quæ idem repeteret: ut intelligeremus, opinor, sacrificio præsertim sese à maximo illo malo purgantium ignium liberandum esse.

943.  
Detegunt  
Furem stipendii Missarum defuncti.

Somnia quædam divinitus immitti, tum sacri libri, tum multa experientia comprobant. Inter hæc illud refero, quod, amplius sunt viginti anni, mulieri cuidam viduæ objectum est Romæ. Erat huic mater, quæ octavo quoque die plura piacularia sacra pro expiatione animarum, quæ Purgatorio igne detinentur, faciendâ curabat, atque eleëmofynam privigno ejus viduæ filia, ut diximus, suæ, Sacerdotibus deferendam tradebat, qui numquam totam persolvebat, sed semper partem ejus aliquam averterbat, neque id umquam mulieri subolere potuerat. Verùm vidua illa visa est videre, atque audire in somnis, qui diceret privignum suum eleëmofynam ad sacra faciendâ tributam defraudare. Proinde matrem admoneret, ut alium fidelio rem eligeret. Quod somnium cùm filia matri narrasset, illa primò contempsit. Post venit illi in mentem filia somnio aures dare: nec rem illam inquisitam dimittere. Itaque Aedituum illius Ecclesiæ adit, percunctantur quot à puero illo Julios octavo quoque die ad sacra faciendâ perciperet. Ille sumit codicem, in quem eleëmofynarum ratio referebatur, inspicit, ac reperit puerum ex singulis eleëmofynis singulos minimum Julios solere detrahere, sibi que habere. Quare comperit filia somnium cum veritate congruere. Atque in eam opinionem adducta est, ut pro certo existimaret, Dei permisso aliquam earum animarum, quarum ea Sacra fieri plurimum intererat, secundum quietem indicasse filia fraudari eam pecuniam, quæ esset ad ipsarum expiationem attributa. Ita Janus Nicæus Exemp. 152. Denique præclarum est, & auditu pium utilissimumque quod ex nostro Allegambe de mortibus nostrorum illustribus subjicio. Joannes Cornelius è Soc. JESU, qui in Anglia fidei causâ inelytam mortem subiit, cùm esset aliàs in defunctos piissimus, & piacularia sacrificia quater ferè per hebdomadem pro iis litaret, quondam eorum vim ex precibus, votisque apparentis sibi animæ manifestò expertus est. Operabatur sacris pro D. Sturtono Barone haud pridem demortuo, cùm

Opem in  
sacrificio  
petunt.

ab elevatione ad usque defunctorum commemorationem plus solito cunctatus est. A sacro præsentibus alloqui hortâdo cœpit, ex iis verbis: *Beati qui in Domino moriuntur*, retulitque vidisse se in ea mora, quam duxerat, sylvam vastissimam dira incendia glomerantem, & in ejus meditullio Baronis animam, horridos inter stridores, & miserabiles ejulatus queritantem. Accusasse autem illum vecordiam suam, atque ignaviam dissimulata nonnunquam fide, quando eam testari palam, ex usu fuisset: accusasse item malè perditam in aula protritâque ætatem, & morum documenta præbita, non satis ex officio: demum quod eorum fuisset è numero, quorum suffragatione Regina Scotiæ innocentissima perierat, quod tamen delictum jam ante pœnitendo induxerat. Solo quidem vertice flammis extare visum, sed è familiari sibi viri calvitie agnitum, vociferantem, *Iniurea, Misere mini mei, Misere mini mei, saltem vos amici mei*. Hæc ubi dixit concionem octogenum circiter capitum solvit lacrymantem, plenus ipse lacrymarum. Eadem prorsus omnia Sacri minister sibi objecta affirmavit; & cæteri lucem se quandam in altero altaris cornu, sed tenebricosam, & caligine offusam, & carbonum instar, conspicatos esse memorabant. Ergo, ô Sacerdotes, illorum misere mini qui vos præsertim amicos invocant, quippe quos ratio muneris, & summa potestas ad benefaciendum illis debet impellere.

§. I.

*Studium mortalium Missas piis  
manibus procurandi.*

EXCELLUIT in hoc genere S. Odilo, 944.  
Præsul Cluniacensis, à cujus pietate S. Odilo,  
fluxit in totam Ecclesiam celebris illa dies Notgerus;  
commemorationis defunctorum. Quem Bruno.  
Quem ritum priusquam tota amplecteretur, recepit in Ecclesiam Leodiensem Notgerus Episcopus, vir apud Leodios illustris, qui Odilonem, minorem quidem natu, ac dignitate, tamen sanctitatis famâ carum, ac venerabilem habebat. haud scio an suppar Odilonis curæ ejusmodi fuerit cura S. Brunonis, Carthusianorum Fûdatoris, qui præter officium defunctorum quotidianum, plurimorumque psalmorum recitationem, innumeras, ut ita dicam, Missas in commodum defunctorum suis indixit. Quare non pauci student in illorum partem venire per communicationem meritorum seu satisfactionum, atque impetrationis, quam esse

esse valde fructuosum sequens historia cōmonstrat.

945.  
Participa-  
tionis me-  
ritorum  
fructus.

Vir quidam honoratus Ordinem illum collatâ stipe non modicâ valde sibi obstrinxerat; usque eo, ut litteras participationis precum, ac satisfactionum à Capitulo Generali obtentas apud se in scrinio servaret, quo subinde vitâ functo, uxor mortem illius Carthusiensibus significare cunctata est; & ecce strepitus noctu è scrinio crebrescere, totam domum horrore comple- re, uxorem ad consilium petendum adige- re. Qui consulebatur, prudenter cenitit scrinium aperiendum, fortè enim in eo la- tere scedulam alicujus obligationis indi- cem, quam defunctus velit dissolvi. Sed non aliud repertum, quàm litteræ illæ, qui- bus lectis æquè prudenter dijudicavit stre- pitus causam uxoris negligentia tribuen- dam, per quam litteras illas Carthusianis ostendere, ac fidem eorum ad suppetias vi- ro demortuo quâ precibus, quâ Missis fe- rendas implorare cunctata erat. Quo per- acto scilicet tumultus audiri desit, quia pius precum clamor in cœlo exaudiri cœ- pit, & anima in Purgatorio leniùs haberi.

946.  
S. Caroli  
Boromei  
similis pic-  
tas.

Emicuit in hoc quoque pietatis genere Carolus Boromeus Cardinalis, & Archie- piscopus Mediolanensis. Siquidem anno salutis 1578. cum malignissima lues Medio- lanensem civitatem, ac ditionem miserè vastaret, Mediolanenses impulit primùm ad restaurandam S. Sebastiani ædem sa- cram, in eaque curandum in singulos dies perpetuum sacrificium, Diemque Sancto festum celebrandum, atque illius pervigi- lium jejunio honorandum. Tum instituit, ut Lipsanoteca elegans reliquiis illius Di- vi istic repositis honorificentius habendis construeretur, & quod ad propositum fa- cit, attento plurimos ex his, quos pestis ab- stulerat, neminem habere, à quo quid- quam opis, nedum Missam, expectare possent, exequias defunctorum tertio pro iis fieri curavit, unas in Cathedrali, ac Me- tropolitana, cui totus civitatis clerus inter- fuit, reliquas duas in singulis Collegialibus, quibus proprius cujusque clerus præsens adfuit. Cæterus omnes Religiosi, Curio- nesque illius Diœcesis idem præstitere, sin- guli que Sacerdotes pro iisdem defunctis semel sacrificaverunt. Quin etiam epistolâ pastoralî per universam diœcesim missâ, omnes utriusque sexus, ac cujuslibet con- ditionis, ætatisque homines exhortatus erat, ut iis exequiis præsentem se sisterent, ac defunctos illos, quâ precibus, quâ largi- tione stipis, quâ septem ædium Stationa- lium Mediolani sitarum pia frequentatio- ne, quâ cæteris piis operibus sublevarent.

Quod ut propensius, pleniusque exequen- rentur, ingentem tormentorum, quibus ex- cruciantur pii manes, acerbiter demon- strârat. Sic ille piissimus mortuorum non modò vivorum patronus.

Est etiam digna posteritatis laude pietas ejusdem generis, S. Ludovici Galliarum Regis, quæ tum aliis rebus, tum hoc indi- cio se prodidit. Circa Redemptoris an- num 1257. Ludovicus intellecto nobilissi- mum virum Engerranum de Concy, san- guine non modò Regio, sed & Imperiâli oriundum, nescio quo cæstro percitum, juvenes Flandros studiorum causâ Parisios petentes, in crucem sustulisse, per causam venationis in suis nemoribus exercitæ (cum illis neque venatici canes, neque ullum venationis instrumentum adesset) primùm hominem carcere inclusit; deinde ad mor- tem damnasset, nisi Comitum, ac Baro- num preces intercessissent. Ceterum Engerrano multam decies mille librarum imposuit, quæ multa propter pecuniæ ino- piam tunc erat gravissima. Tum trium annorum in terrâ sancta servitutem adje- cit, præterea sylvas ejus fisco addixit. In gratiam autem adolescentium mortuo- rum sacella primùm excitari voluit, ac red- ditus ad Missas piè faciendas instrui, quos redditus ex nemorum pretio constandos censuit. Denique illos curavit in iis hono- rificè inhumandos. Porro quantum ex Missis solatium ac levamen defunctorum existere arbitraretur, tum maximè prodi- dit, quando in testamento suo ita filium suum Regni successorem, affatur, *Exhortor, & adiuro te, fili mi, ut si me contigerit ante te migrare ex hac vita, toto Regno Francia pro anima mea cures offerri preces, ac sa- crificia*. Ita Rex Ludovicus. In Annal. Paris.

947.  
Item S.  
Ludovici  
Regis.

Denique Austriacæ Domus liberalitas in pios manes semper fuit Augusta. Ut enim præteream, quæ de Philippo II. ac Clara Eugenia Isabella nuper me narrare memini, ingentem sacrificiorum nume- rum conjugibus suis fieri mandasse, audi, quæ sub jicio. Ferdinandus Cæsar III. Ama- nuensem habuit consiliorum omnium par- ticipem. Is cum obiit mortem; aliquan- to post Cæsari in conspectum venit: quem ille cum esset intuitus, alacri atque præsen- ti animo ejus adventus causam exquisivit, sed nullum ab eo responsum accepit, ve- rùm ejus loco dexteram sibi dare conspexit, quàm impertestitus Cæsar accepit. Ita verò ardentem offendit, ut ferri tolera- ri que non posset. Quamobrem coactus fuit protinus eam amittere, sed vix amisit, cum ille excessit ex oculis. Tum verò demum

948.  
Ferdinan-  
dus 3. Imp.  
secretari-  
um librat.

demum intellexit Cæsar, quænam adventus ejus causa fuisset, cujusque auxilii esset ille egens imprimis. Itaque postero die, aliisque deinceps pro illius animâ, multa piacularia Sacra faciendâ curavit, quorum vi flammâ illâ præreptum, sit verisimile in cœlum abiisse, non enim aliâs se Cæsari videndum objecit. Hæc ego nobilem virum Polonum, Gottifredo nomine, narrantem audivi, qui tum temporis in aula Ferdinandi versabatur. Ita Janus Nicius exempl. 154.

949. *Vxoris illius par studium.* Imperatori jungendâ Augustissima Imperatrix, eademque Ferdinandi II. Inclyta conjux, Anna Eleonora ex Ducibus Mantuanis ad Imperialis tori thronum dignitatemque evecta. Hæc enim cum singulari salutis ac solatii animarum studio teneretur, autoritate suâ, operaque, multa multis altaria privilegiata in gratiam piorum manuum, multasque indulgentias tum sibi, tum aliis à Summis Pontificibus, Gregorio XV. Urbano VIII. & Innocentio X. impetravit, quibus quæ mortales, quæ mortui fruerentur. Quas ne inutiles esse sineret, certa ferie, ordineque digestas ad usum revocabat, non defunctorum minus, quam viventium mater dulcissima. Quæ cum cetera summa haberet, nihil tamen majus pietate.

950. *Mons pietatis ad stipendia Missarum.* Prætereo cætera, plurima enim hoc toto opere sparsa sunt, inter quæ illud illustrissimum, quod de monte pietatis ad colligenda pro defunctis Missarum stipendia à Cleris Regularibus in Italia excitato diximus. Quem montem iterum dico, velim alibi, atque in hoc nominatim Belgio ubivis erigi. Verè enim mons pietatis esset, unde brevi in cœlum & viventibus & mortuis liceret ascendere.

§ 5.

*De variis Missis defunctorum.*

951. *Varietas Sacrorum antiqua quantum ad dies.* EXPOSITA Missæ virtute ad pios manes sublevandos opportuna, consequitur ut sigillatim de variis defunctorum Missis agamus. Primum igitur varietas cernitur in diebus, quibus fiat pro defunctis. Nam & apud Gentiles mos viguit certis diebus pro mortuis litandi. Hinc februa, & novemdialia. Etenim februa Romani dicere piacula Patres, quæ per duodecim dies continuos celebrabantur pro defunctorum manibus. Novemdiale autem sacrum erat, ex veteri instituto, nono ab obitu die factum. Unde Horatius, *Novemdiales dissipare pulveres.*

Porro apud Christianos jam olim pro mortuis Missa ipso die obitus fieri solita, antequam sepulturæ quis mandaretur. Id quod ex Tertulliano erui potest, & satis patet ex Ambrosio, Augustino, & Victore Uticensi, quos videre est laudatos à Josepho Vicecomite de Missarum ritibus l. 4. c. 7. Altera pro defunctis Missa fieri pridem solita est tertio post obitum die, cujus præceptum extat in Constit. Apostolorum l. 8. c. 48. hisce verbis, *Peragatur dies tertius mortuorum in Psalmis, in lectionibus, atque orationibus, propter eum, qui tertio die resurrexit.* Ubi orationum nomine etiam Missam intelligi compertum, pariterque hanc sanctionem ab Ecclesia semper esse observaram. Sequitur deinde mos faciendi septimo ab obitu die, sive quia dies septimus, symbolum est futuræ quietis, sive quia tota vita septem in orbem diebus ducitur.

Designatur etiam trigessimus à morte dies ad sacrificandum pro defuncto; qui ritus ab Hebræis fluxit. quippe qui Aarone, ac Moysen per triginta flere dies, vel certè ex eo, quod Christus trigesimo ætatis anno à Joanne baptizatus, vel, quod maxime probo, quod nos omnes in eadem mensura ætatis plenitudinis Christi sumus resurrecturi. Denique celebris est anniversarius dies litationis pro defunctis jam inde ab Apostolis celebratus, scilicet ad memoriam piorum manuum, quæ ipsomet obitus die post annum recurrente facilius reficitur. Postremò Missæ pro mortuis sunt quotidianæ, nempe quod cum semper flagrent aliqui, quotidianâ Missarum litatione, digni sunt qui adjuventur: imò qui pluribus per unicum diem sacrificiis, uti olim S. Norbertus, aliique sæpius unico die sacrificavere.

Ad hanc quoque distinctionem spectat celebritas Missarum funebrium, quæ postridie kalendas Novembris quotannis celebrantur. Sed propriè tractanda est. Atque originem quidem illarum Petrus Damiani, ac Sigebertus acceptam ferunt S. Odiloni Abbati, qui eo anno vixit, qui fuit à partu Virginis nongentesimus nonagesimus octavus. Occasionem in ipso tractatus exordio deprempsimus; sed probabile est jam tum celebritatem illam in usu fuisse, cum Amalarius Fortunatus ducentis prope annis Odilone antiquior lib. de ord. Antiph. cap. 65. in hunc modum loquatur. *Post officium Sanctorum inserui officium pro mortuis, multi enim transferunt de presentis sæculo, qui non illicò Sanctis coniunguntur, pro quibus solito more officium agitur: sic ipse. Conciliabuntur sententia, si dicamus morem S. Odilonis tempore passim antiquatum*

Q 9

quatam

quatum fuisse, atque ab illo revocatum, in reliquam Ecclesiam derivatum esse.

955. *Ejus causam.* Causâ porro cur dies ille nominatim lectus sit ad defunctorum commemorationem, ab authoribus non affertur. Prior hæc esse potuit, quod cum festo omnium Sanctorum die, de illorum cælesti gloriâ frequens agat, & gratuletur illis Ecclesia, opportunum sit, ac consentaneum, ut proximè à secundis vespers eam piis manibus voyeat: quippe cujus candidati, & tamen miserabiliter exortes sint. Posterior, quod oratis communiter omnibus Divis, & honoratâ Ecclesia illâ Triumphante, pronius sit opem eorum Ecclesiæ patienti optatissimam exorare.

956. *Missarum pro defunctis numerus trigessimus.* Altera varietas Missarum petitur ex numero sacrificiorum, estque percelebris tricenarius, cujus occasionem accipe. Justus quidam S. Gregorii Magni monachus cum aliquot nummis apud se sine Præsidum facultate retentis, diem suum oblerat. Hunc Gregorius in sterquilinio ad ignominiam ipsius, fratrumque exemplum, sepultum etiam per triginta ab obitu dies omni sacrificio vacuum reliquit. Quibus transactis ejus miseratione motus sic ait, suo Præposito; *Diem est, quod frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid charitatis impendere, & cum in quantum possimus, ut eripiatur, adjuvare: vade igitur, & ab hodierna die diebus triginta continuè offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abcessit, & dictis paruit; nobis autem alia curantibus, atque dies evolutos non numerantibus, idem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri germano suo, Copioso, per visionem apparuit, quem ille cum vidisset, inquisivit, dicens: Quid est frater? Quomodo es? cui respondit, nunc usque male fui, sed modò bene sum, hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicavit fratribus in monasterio; fratres verò sollicitè comparuerunt, & ipse dies extiterat, quo pro ea trigesima oblatio fuerat impleta. Sic Gregorius. Porro ex hoc prodigio consuetudo in Ecclesiam fluxit trigestes pro mortuis sacrificandi, quem numerum sacrificiorum Missas Gregorianas appellant.*

957. *Missæ, quæ circumferuntur à S. Gregorio non sunt præcepta.* De quibus non una quæstio institui potest. Primum enim quæritur, an eæ quæ circumferuntur, necessariò sint faciendæ ad subsidium, quod per Missas Gregorianas expectari potest, impetrandum? Et responso est negans; nec enim ulla Missas distinctas fieri voluit Gregorius, sed simpliciter ut *studeret* suus Præpositus per tri-

ginta dierum intervallum Missas in singulos dies continuare. Adde Missas illas, quæ proferuntur, variè à variis recenseri, neque apparere cur sic, vel sic distinguendæ sint. Adde rursus, & maximè easdem non quadrare diebus, in quas incidere possunt, ut Missa de Passione in diem Resurrectionis, aut Ascensionis Dominicæ. Quare merito ordo ille prohibetur.

Quæritur deinde, an necesse sit eas ab uno, eodemque Sacerdote fieri? Et similiter responso est negans, quia neque id petiit Gregorius, sed ut *studeret* ille continuare; neque addidit per se. Relinquit igitur libertatem per alium Sacerdotem tricenarium numerum perficiendi. Quæritur præterea, an faciendum sit quotidie Sacrum de defunctis. Sed pater ex dictis neque id à Gregorio postulatum: & verò ab Ecclesia vetatur, ne Dominicis, ac festis duplicibus fiat, nisi certæ conditiones interveniant. Denique quæri potest, an in eo numero vis quædam insit propria ad pios manes sublevandos? & respondetur non inesse ullam ex opere operato, ut siquet (nec enim ullum illius indicium) vel ex Scripturâ, vel ex Ecclesiæ sensu, vel ex promissione S. Gregorii. Si quæ igitur sit, ex opere operantis fluit, quoniam exemplo S. Gregorii pietas accenditur, ac fiducia fidelium crescit, adeoque & vis impetrandi. Quamobrem ego quidem malle illico triginta Missas à triginta Sacerdotibus meâ mortui causâ fieri, quàm singulas, per singulos triginta dies patrari, quia præstat mihi ardenti hodie multam affundâ aquam, quâ statim restinguam ardorem, quàm eum paulatim per longum temporis spatium mitigari. Et quanti quæso est defunctis uno, duobus, tribus diebus Deo ac beatitudine citius perfrui?

959. *Distinctio Missarum ex loco privilegiato.* Ad extremum distingui solent Missæ pro defunctis ex loco, ubi sacrificatur. Et celebres sunt Missæ altaris privilegiati, de quibus hæc pauca accipe. Solent Pontifices Indulgentias altaris privilegiati duobus modis concedere. Prior talis est. *Qui in altari B. sacrificaverit die luna pro anima defuncti, seu pro defunctis, animam liberabit ex Purgatorio.* Et eo posito, quælibet Missa, etiam diei, æquè valet ad liberationem illius, atque Missa *Requiem*. Posterior talis. *Qui in altari B. fecerit Missam de defunctis, vel Requiem, à Purgatorio animam liberabit.* quo posito Missa de defunctis sola ad eam liberationem eligenda, ac facienda est, etiam quando in diem Lunæ festum, ut vocant, de præcepto, & festum duplex incidit. Sic enim mentem Pontificis vetantis Missam *Requiem* his diebus

# Patrocinium Defunctorum. Lib. III. 307

diebus fieri, licet accipere, ne alioqui privilegium fiat inutile. Et ita docent Barbosa, Gavantus ex Sacrae Congregationis declaratione.

960. Deinde qui obligatus sacrificare in altari privilegiato pro defunctis, alibi sacrificat cum numismate, cui vis inest sacrificando animam à Purgatorio eximendi, Fraxinello, Barbosa, & Gavanto auctoribus, mortiferam culpam admittit, tum quòd certius sit privilegium altaris, quàm indulgentia numismatis, de quo dubitari potest, an sit benedictum. Sed longè mitius alii, docent ne veniali quidem culpæ vertendum esse. Ita Pellizarius noster, ita Marchinus, Megalius, Garcias, item Leander, Paschaligus apud Dianam. Et rationem reddunt, quòd pactum non violetur formaliter, ut aiunt, sed tantum materialiter: sola enim indulgentia plena, atque animæ à Purgatorio libertas quaeritur, quæ per numisma æquè certò acquiritur. Neque verò refert, quid ex æquipollentibus fiat l. finali §. finali. Et licet inæqualis esset certitudo, non cògor eligere certiozem partem, sed sat mihi est probabilem sequi; saltem sufficit, non adesse mihi probabilem rationem ambigendi an numisma sit benedictum. sed quidquid sit de hac tota ratiocinatione, usus posterioris hujus sententiæ auctoritate Pontificià omnino prohibitus est. Atque ut non esset prohibitus, prior certior est per se ipsa, & nefas est sapitque nescio quam crudelitatem in tam dura diuturna que piorum manium calamitate, certioribus remediis relicta incerta sectari.

§ 6.

*Quæ Missæ piis manibus sint  
utiliores.*

961. **E**ST sententia Angelici Doctoris factis recepta communiter, Missam Requiem magis eos levare, quàm aliam; facile tamen secus accidere posse. Sic enim ille. *Dicendum, ait, quod in officio Missæ non solum est sacrificium, sed etiam sunt orationes, & idèd Missæ sacrificium continet duo horum, quæ Augustinus enumerat, scilicet orationem, & sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblatis Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur, & hoc est præcipuum, quod fit in Missa. Ex parte verò orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per maiorem devotionem, vel eius qui dicit Missam, vel eius qui iubet dici, vel etiam*

*per intercessionem Sancti, cuius suffragium in Missa imploratur.* His adde Missam Requiem, & breviorè aliis esse, & à multis parum attentè ac piè decurri, propter assuetudinem, ut etiam observat Navarrus, & experientia plus fatis demonstrat.

Deinde Missa cantata cæteris paribus, haud multò plus prodest defunctis, quàm simplice sono recitata; aliunde tamen præstat. Explicatur: Cùm cætera eadem sint utraque in Missa, eo tantum differet hæc ab illa, quòd cantus aliquid conferat ad excitandam adstantium pietatem, & fortasse etiam Sacerdotis. Verum multum & illi pietati detrahit assuetudo cantandi, & præcipitatio, quæ subinde etiam præsentis offendit. 2. quòd plures ad cantandum conveniant, atque ita orationes multiplicentur. 3. quòd ministri Ecclesiæ sic alantur, quod genus quoddam eleemosynæ est, & defunctis prodest; sed viderint illi ut pietate sua, atque multiplici opere operantis, fructum operis operati ex pauculis Sacris privatis minore sumptu colligendum excedant. Adverte non posse quidem omiti Sacrum solemne mortuale, quia ad illud consuetudo Ecclesiæ aliquod jus dedit ministris, ac sacerdotibus; improbandam tamen esse eorum avaritiam, qui sumptuosas exequias extorquent, quando nonnumquam, licet conditio defuncti honorata fuerit; tamen parum restat ad æris alieni solutionem, viduæque & liberorum alimenta.

962. Quo verò tempore Missæ ad redemptionem pœnarum purgantium sunt faciendæ? *Ante mortem cura tibi Missæ.* Ego sanè ante mortem potiùs, quàm à morte faciendas probaverim, quia præstat providere ut incendium evites, quàm ut ex eo eripiare. 2. quia ante mortem tibi ipse prospicies, curabisque diligentius rem tuam, & salutem animæ quàm alii. Etiam videre est frequenter, ò nefas lacrymabile! hæredes de fortunis sollicitos, parum de levamine eorum, qui cas illis reliquerunt, cogitare; sæpe etiam conari legata pia rescindere, ad minimum accidere illa, & partem sibi arrogare, aut parte quidem illorum executioni datà, reliquum differre, nempe cum defuncti gravissimo detrimento, qui interim ardet, & per negligentiam, aut avaritiam eorum, quibus vitam, & labores omnes impendit, miserè torqueret. 3. quia fructus sacrificiorum, & Ecclesiæ suffragiorum, quæ tibi addixeris, certius vivo adveniet, quàm defuncto, cum disputetur, an defunctis certò & infallibiter obtinant, quæ illis destinata sunt; non item dubium sit de iis precibus, ac suffragiis, quæ sibi quis vivo assignavit. 4. quia dum

Q 9 2

pro te

pro te vivente sacrificium fieri curas, acquiris fructum sacrificii multiplicem. Nam & meritum, ac gratiam habitualementem auges ex opere operantis, & insuper ex opere operato impetras gratias actuales; item bona temporalia salutis congrua, & præterea pro pœnis vitæ antea actæ debitis satisfacis, cum satisfactio meritum comitetur, ei que ferè adæquetur. Dum autem pro te pefuncto sacrificari jubes, mereris tum quidem aliquid propter istam piam voluntatem, & aliquantum impetras & satisfacis ex opere operantis; sed dum Purgatorio clauderis, non percipies ex opere operato fructum ullum alium sacrificii, quàm satisfactionis, & fortè impetrationis, ut aliqui recordentur tui, & pro anima tua precentur. Adde 5. ut est longè difficilior privare te, dum adhuc vivis, opibus tuis, quàm eas relinquere post mortem tradendas, ita magis meritorium esse pro te vivo curare fieri Sacra, quàm pro mortuo. Atque hæ rationes non paucos impulere ad Missas, aliæque suffragia, sibi dum vita maneret, curanda: & meo quidem iudicio prudentissimè.

964.  
Solutio ob-  
jectionum.

Dices: factis sacrificiis, quæ mihi vivo destinavero, novas adhuc noxas contraham per fragilitatem humanam, atque adeo novis pœnis obnoxius ero. Respondeo: hac de causâ suaserim, ut partem Missarum (& eadem est ratio aliorum suffragiorum) ante mortem fieri cures, partem post mortem, pro portione scilicet noxarum, quas ætas antea commiserit.

Dices 2. fieri potest, ut, si ante mortem mihi sic prospiciam, Sacra fiant, dum fuero in statu peccati mortalis; quo posito non consequar fructum satisfactionis. Respondeo: saltem consequeris fructum impetrationis, ut in gratiam cum Deo redeas. Deinde vide, ut cum tuâ causâ sacrificari iustus es vel crimina tua ritè fatearis, vel actum contritionis elicias.

Dices 3. quid fiet, si legem pecunias ad Sacra mihi demortuo faciendâ, dum ero reus peccati lethalis? Respondeo. Si nihilominus decedas in gratiâ, ea Sacra tibi sunt profutura, quia cum fient, fructus eorum capax eris, & hic pro tua destinatione tibi applicabitur. Imò aio etiam alia pia legata facta in mortali, quodammodo reviviscere, & satisfactionem valere per mortem in gratia obitam, quia testamentum, & legatum per mortem quodammodo perficiuntur. Non enim ante illam valent, possunt ergo ejusmodi, si quidem ante mortem ratihabitio accedat, dici fieri in gratiâ. Quod si tamen æger nec illa rata habuisset, nec de iis ante mortem, & in morte cogitasset, existimo nihil defuncto

profutura, quia non potest dici testamentum, aut legatum perfecisse, aut confirmasse in morte, qui tunc de illo nequidem cogitavit. Sed de his aliquid etiam antè diximus: & latè apud Theologos disputata reperiuntur.

Et si autem nonnullorum consilium Missam de Requie pro se vivo ac præsentem curandi fieri criminis argui non possit, tamen promiscuè probari non debet: neque verò in consuetudinem ullo modo deduci. Probat prior pars, quia nec lege positivâ, nec divinâ id prohibitum, est que ab Alberto Magno, & Henrico II. Comite de Roteneck Episcopo Ratisponensi, viris sanctis, item à Carolo V. Cæsare piæ memoriæ usurpatum, sive ad religiosam mortis recordationem ingenerandam, sive ad vitæ ac mundi contemptum. Posterior pars etiam probatur, quia mos ille non est conformis menti Ecclesiæ, quæ orationes, & cætera istius Missæ ad defunctos refert, quare ad vivos referri non debent, & si fiat, carebunt fructu, qui à sanctitate, precibusque Ecclesiæ potest manare. Missæ verò post mortem faciendæ, statim post eam perficiendæ sunt, si fieri potest.

965.  
Missæ de  
Requiem  
non est pro  
vivo faci-  
enda.

Probat, quia quò citius fiunt, eò citius fructus earum percipitur, non enim operantur antequam fiant, nec sufficit ad satisfactionem ex eis accipiendam eas legasse, ut multi falsò existimant. Itaque rectè censet Marchinus de sacrificio Missæ c. 34. præstare ad satisfaciendum pro pœnis purgantibus statim à morte dici simul centum sacra, à centum Sacerdotibus, quàm pluribus diebus successivè ab eodem, vel pluribus Sacerdotibus diversis. Quod autem addit in ratione meriti posterius illud plus valere, non satis probarim. Et si enim divinus cultus posteriore modo ad longius tempus duret; Quid tum? cum priore modo pluribus locis totidemque Missis Deus colatur. Quare obitus illos, ut vocant, perpetuos, ab Ecclesia approbatos nemo quidem improbare potest, sed tamen ita instituendi, ut mature pro te mortuo bonum numerum Missarum celebrari cures, quem arbitrio boni ac prudentis viri putes tibi sufficere. Quod si utrumque illud præstare nequis, author sim, ut primo quoque tempore quidquid est Missarum pro te jubeas perpetrari.

966.  
Missæ pro  
defunctis  
statim fi-  
ant.

S. 7.

*De fructu Missæ, qui ex ejus auditione ad pios manes pertinere potest.*

967.  
Missæ au-  
dicio ex  
opere ope-  
rantis pro-  
dest defun-  
cti.

CONSTAT Missæ auditionem, cum sit actus religionis, atque adeo bonus, & honestus, virtute satisfaciendi, impetrandi que pollere, eumque utrumque fructum defunctis applicari posse. Satis etiam perspicuum est Missæ auditionem præstare aliis religionis actibus, quandoquidem is, qui illam audit, revera sacrificium incrementum Deo Patri offerat: qua oblatione sublimissima religio continetur: quoniam mystica illa Christi morte, Deus ut vitæ author, ac rerum omnium fons atque origo, sublimissima planeque diuinâ ratione honoratur.

968.  
An ex ope-  
re operato.

At disceptatur, an eidem auditioni respondeat fructus aliquis ex opere operato, vel impetrationis, vel satisfactionis, & quod ei consequens est, lis est, an qui plorum manum causâ Missæ ritè interest, fructum aliquem ex opere operato manantem cum iis possit communicare. Ac Suarius quidem affirmat, quia cum oblatio hujus sacrificii sit fructuosa ex opere operato, conficitur omnes, qui illud offerunt, fructus ex opere operato participes esse, atque adeo & eos, qui illi interfunt, cum, ut diximus, revera illud offerant. Quæ sententia pia est, valeretque ad commendandam Missæ auditionem. At Vasquez, Coninck, de Lugo contra nituntur, voluntque soli Sacerdotis oblationi fructum sacrificii respondere ex opere operato: propterea quod ille fructus, sacrificio responderet eatenus dumtaxat, quatenus Christi nomine offertur, sic autem offerre soli competit Sacerdoti.

969.  
Fructus  
impetra-  
tionis ex  
opere ope-  
rato pro-  
dest defun-  
cti.

Nos lite sub iudice relicta dicamus, quod utrique litigatores facile concedent, & re ipsa asserit de Lugo, fructum impetrationis ex opere operato ad audientem pertinere, saltem quatenus Sacerdos Christi nomine pro omnibus circumstantibus sacrificium offert, quos inter Missæ auditor imprimis recenseretur. Eum porro fructum piis manibus ascribi posse ad obtinendam iisdem condonationem, atque ita satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis, cum hac impetratione ex opere operato, defunctis majorem in modum prodesse. Addamus id quod Taburinus rectè conjicit, auditionem aliquot Missarum tantum illos levare, quantum applicationem unius Missæ à Sacerdote profectam. Quæ res egenos solari potest, ac debet, imò

universos ad frequentem Missæ auditionem piis manibus destinandam impellere. Nonne quilibet avidissimè Missæ interest, si vivos parentes incedio vel sic liberare possent? Et tamen quàm distat illud ab igne mortuorum?

Merito igitur Christiani eâ causâ frequenter rei divinæ interfunt, merito parentes cum liberis præsentibus adfunt Missis, dum pro suis vita functis fiunt. Quos inter excellere D. Elisabetha Portugalliæ Regina. Clara item Eugenia Alberti Principis Belgicæ conjux, de quibus superius diximus: Maria quoque Caroli Archiducis Austriæ conjux, & filia Alberti Ducis Bavaricæ, triumque Regum mater inclita, inter primas locum obtinet, ut nihil dicam de conjuge. Jam vidua duas quot diebus Missas audiebat, & alteram quidem pro animâ viri, quoniam inter illos convenerat, ut superstes pro mortuo quotidie interesset Missæ, quam fieri curaret. Atque hanc pietatem octo, ac decem annorum spatio, etiam per itinera, negotiaque summi ponderis, intermisit numquam. Quo in genere hoc dignum memoratu. Eo ipso, quo Maria decessit, anno, cum die festo S. Marci supplicationi, summo item Sacro, ac concioni interfuisset, totumque matutinum tempus insumpsisset cultui divino, memor denique sese id officii bonis mariti manibus per oblivionem nondum reddidisse, licet adulto die, licet adhuc jejuna Sacerdotem è Societate Jesu (quo uti solita erat ad Missas ejusmodi) cõfestim advocat, sacrificare eum in finem jubet, ipsaque sacrificio multa cum sui pectoris devotione interest, nempe aliàs Austriacæ Imperatricis partes sese minimè expleturam rata.

Eadem pietate claruit V. Magdalena Angelica Ordinis S. Dominici. Nam præter assiduam corporis macerationem, frequenter pluribus sacrificiis piorum manum gratiâ præsens continenter aderat. Quare sublevatæ eo charitatis officio animæ sese illi videndas non rarò objiciebant, gratiasque medullitus ei agebant. Imò ex iis nonnullæ illam amplexabantur.

970.  
Pro defun-  
ctis Missas  
audientium  
exem-  
pla.